Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1879
Quelle:
Copyright:

laborem resumtum ad finem perduxit.

V. *fol.* 205. p. 2. Homiletica quaedam *de Purgatorio*, *Poenitentia*, *Honestate Mulierum ad Clericos*, et Festo Dedicationis Ecclesiae, levis momenti.

VI. *fol.* 214. *Sermones*, ut in calce. *fratris Ludwici Heremitani ordinis*. Sec. XV. manu scripti, et quidem, ut ibi additur: *Michaelis de manlebarn*, hodie *Mallebern* Pago Inferioris *Austriae*. Duplex horum *Sermonum*, seu Σχημάτων potius, est Series. Utraque orditur ab Adventu, et prior quidem: *Hora est iam nos de sompno. in bijs verbis monet nos fidelis futuri videlicet Paulus* &c. Altera *fol.* 238. *Benedictus qui venit in nomine domini. Matth. fratres karissimi istud ewangelium hodie legitur et in ramis palmarum* &c. Utraque partim in Evangelia, partim in Epistolas Dominicar. et Festorum Domini commentatur. Excitat unicum hunc codicem nostrum *Ossingerus* in *Bibl. Augustiniana* p. 521. ubi discimus F. *Johannem Ludovici Herbipolit.* post varia in Ordine gesta munia decessisse a. 1480. *Hierapolitanum* Episcopum et Subfraganeum *Ratisbonensem*.

VII. *fol.* 256. sequitur *Martyrologium* incipiens a *Circumcisione Domini*, et definens in *Silvestro* Pont. et *Gerdrude Belgica*, quibus accedit Notio *Transfigurationis* etiam germanice expositae: *ein Wandlung der gestalt daz sich ein dinch verbandelt in ein schöner gestalt*, et *Quatuor Temporum*. Maxime prolixus est Scriptor in vita S. *Oswaldi* Regis *Scotiae*, & S. *Colomanni* Mart. de quo refert, Custodem Thesauri Ecclesiae *Medlicensis* cum pretiosa supellectili per fenestram se demittere volentem adhaesisse, capiteque in formam caninam mutato latratus edidisse; quibus excitatus Conventus furem deprehendit. In universum stupenda et fabulosa sectatur.

VIII. *fol.* 275. p. 2. Remedium contra Pestem germanice: *Dysew erczney ward gesantt dem chünikch von Frankchreich von den ärczten von paryz* &c. Qualia jam alias retuli.

DCCLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 452. 8. per duas columnas minutius sed nitide exaratus, coloribus distinctus, et olim, ut in calce notatum est, Collegio Magistrorum Ducali donatus ab *Johanne de Gmunden*, celebri Astronomo nostro a. 1442. defuncto, inscribitur: *Hic incipit opus fratris gilberti ordinis fratrum Minorum in sacra theologya magistri ad diuersos status mundi*. Prooemii initium est: *Executis inspirante donino sex partibus* &c. ut *Vol.* I. P. 3. *col.* 2772. ubi aliud Exemplar indicavi, et necessaria de *Gilberto Tornacensi* adtuli. Praesens a *fol.* 155. ad *fol.* 209. manu Sec. XV. supletum est. Ad calcem minio subditur: *Expliciunt sermones de diuersis statutibus* (sic) *hominum. Laus tibi*

U. 571